

lxxx.xxvij.M. passuum, quod diuiditur in mansiones camelorum lxxij. Sunt & quæ sacerdotibus dantur portiones, scribisq; regum certæ. sed præter hos & custodes, satellitesq; & hostiarj, & ministri populantur. Tam quacunq; iter est, aliubi pro aqua, aliubi pro pabulo, aut pro mansionibus, uarijsq; portorjjs pendunt, ut sumptus in singulos camelos denarium d. clxxxvij. ad nostrũ littus colligat, iterumq; imperij nostri publicanis penditur. Itaq; optimi thuris libra xvi. pretium habet, secunda xv. tertia xiiij. Apud nos adulteratur resinæ candidæ gemma perquam simili, sed depræbenditur quibus dictum est modis. Probatur candore, amplitudine, fragilitate, carbone, ut statim ardeat. Item ne dentem recipiat potius quam in micis frietur.

De myrrha, & arboribus myrrhæ. CAP. xv.

MYRRHÆ in iisdẽ syluis permixta arbore nasci tradidere aliqui, plures separatim. Quippe multis in locis Arabiæ gignitur, ut apparebit in generibus. Conuehitur et ex syluis laudata, pentuntq; eã etiã ad Troglodytas Sabæi transitu maris. Satiua quoq; prouenit, multũ syluestri prælata. Gaudet rastris et ablaqueationibus, melior radice refrigera. Arbori altitudo ad quinque cubita, nec sine spina, caudice duro & intorto, crassiore q̃ thuris, & ab radice etiam quàm reliqua sui parte. Corticem leuem similemq; vnedoni, scabrum alij spinosumq; dixere. Folium oliuæ, uerum crispus, & aculeatum. Iuba oliuæ satri. Aliqui similem iuniperi, scabriorem tãtum spinisq; horridam, folio rotundiore, sed sapore iuniperi. Necnon fuere qui è thuris arbore utrunq; nasci mentiretur. Inciduntur bis & ipsa, iisdemq; temporibus, sed à radice usq; ad ramos, qui ualent. Sudant autem sponte prius q̃ incidantur, statim dictam, cui nulla præfertur. Ab hac satiua, & in syluestri quoque melior æstima. Non dant ex myrrha portiones deo, quoniam & apud alios nascitur. Regi tamen Gebanitarũ quartas partes eius pendunt. Cætero passim à uulgo coemptam in folles confarciunt, ipsiq; unguentarij digerunt haud difficulter odoris atque pinguedinis argumentis.

De generibus myrrhæ, & natura, & pretio eius.

CAP. xvi.

GENERA cõplura, Troglodytica syluestrium prima. Sequẽs Minæa, in qua & Atramitica est, & Ausaritis Gebanitarum regno. Tertia Dianitis. Quarta collatitia. Quinta Sêbracena, à ciuitate regni Sabæorũ mari proxima. Sexta quã Dusaritin uocãt. Est et candida uno tantum loco, quæ in Messalum oppidum confertur. Probatur Troglodytica pinguedine, & quod aspectu aridior est, sordidaq; atque barbara, sed acrior cæteris. Sembracena prædictis caret uitijs, ante alias hilaris, sed uiribus tenuis. In plenum autem probatio est minutis glebis, nec rotundis, in concretu albicantis succi & tabescẽtis: utq; fracta candidos ungues habeat, gustu leniter amara. Secun-

da bonitas intus uaria. Pessima intus nigra: peior si etiam foris. Pretia ex occasione ementium uaria. Sta Etæ uero à vi. ad l. Satiua summũ ad xxij. Erythrææ ad xvi. Hæc uolunt Arabicã intelligi. Troglodytica nucleo ad xiiij. eius uero quã odorariã uocant ad xiiij. Adulteratur lentisci glebis, & gummi. Item cucumeris succo amaritudinis causa, sicut ponderis spuma argenti. Reliqua uitia depræbenduntur sapore gummi dente lentescẽtis. Fallacissime aut adulteratur Indica myrrha, quæ ibi de quadã spina colligitur. Hoc solum peius India affert facili distinctione, tãto deterior est.

De mastice, ladano, & bruta, enhæmo, &

strobo, & de styrace. CAP. xvii.

REGO trãsit in masticen, q̃ & ex alia spina fit in India, itemq; in Arabia: lamã uocant. Sed mastice quoq; gemina est, quoniam et in Asia Græciãq; reperitur herba radice folia emittẽs, & carduũ similem malo, seminis plenũ: lacrymaq; erumpit incisa parte summa, uix ut dignosci possit à mastice uera. Necnõ & tertia in Ponto est, bituminis similior, Laudatissima autem Chia candida, cuius pretium in libras xx. nigra uero xij. Chia è lentisco traditur gigni gummi modo. Adulteratur ut thura resina. Arabia etiamnum & ladano gloriatur: forte casuq; hoc, & iniuria fieri odoris, plures tradidere. Capras maleficum alias frondibus animal, odoratorum uero fruticum appetentius, tanquam intelligant pretia, carpere germinum caules prædulci liquore turgentes, distillantemq; ab his casus mixtura succũ improbo barbarum uillo abstergere. Huc glomerari puluere, iocoqui sole. Et ideo in ladano caprarum pilos esse. Sed hoc nõ alibi fieri q̃ in Nabatæis, qui sunt ex Arabia contermini Syria. Recentiores ex autoribus strobon hoc uocant. Traduntq; syluas Arabum pastu caprarum infringi, atq; ita succum uillis inhaerescere: uerum autẽ ladanũ Cypri insulæ esse: ut obiter quæq; genera odorum dicantur, quamuis non terrarum ordine. Similiter hoc & ibi fieri tradunt, & esse æsypum hircorum barbibus genibusq; uillosis inhaerens, sed edera flore deroso, pastibus matutinis, cũ est rorulenta Cypros. Deinde nebula sole discussa, puluerem madentibus uillis adherescere, atq; ita ladanum depecti. Sunt qui herbam in Cypro ex qua id fiat, ledam appellant: etenim illi ledanum uocant. huius pingue insidere: itaq; attractis funiculis herbam eam conuolui, atq; ita offas fieri. Ergo in utraque gente bina genera, terrenum & factitium. Id quod terrenum est, friabile: factitium, lentum. Necnon & fruticem esse dicunt in Carmania, & super Aegyptum per Ptolemaeos translatis plantis: aut (ut alij) generante et id thuris arbore: colligique ut gummi inciso cortice, & caprinis pellibus excipi. Pretia sunt laudatissimo in libras asses xl. Adulteratur myrti baccis, & alijs animalium sordibus. Sinceri odor debet esse ferus, et quodammodo similitudinem redolens: ipsum uisu aridum, tactu statim mollescere, accensum fulgere, odore iucundo gra-

o iij tum